

se tribuitur Diuo Pio. Alia exempla vide sis in *L. 37. D. de Iudic.* iuncta *L. 5. D. ad Leg. Iul. de Vi Publ.* et in *L. 91. D. ad Leg. Falcid.* iunct. *L. 93. eod.* Fuit et hoc solemne aliis Imperatoribus, vt Parentum adoptiuorum nomina adsciscerent, quod, Octavianum Augustum quoque fecisse, constat, qui Iulii Caesaris, auunculi sui, testamento adoptatus, non tantum Caesaris, sed et Iulii nomen tulit, vt hinc leges ab eo latae Iuliae saepius dicantur. Exemplo est lex de Adulteriis Coercendis, quae, licet lata sit a Diuo Augusto vid. *L. 1. D. ad Leg. Iul. de Adult.* PLVTARCHVS in *Apoph.* et SVETONIVS in *vita Augusti* Iulia tamen vbique dicitur.

V.

Aquilio Braduae ita rescripsit.

Aquileiorum gens, quam CAROLVS PATINVS *de Familiis Romanorum* recenset p. 36. satis erat ampla et celebris, ex qua multos egregios viros et celebres ICTOS vidit Roma et Iurisprudencia nostra. Iam olim inter coniuratos reducendi Tarquini Regis causa, leguntur Aquilii, et C. Aquilius, Anno ab V. C. CCLXV. cum T. Sicinio, nec non Anno CCCCXCI. cum L. Cornelio, denique Q. Aquilius Sabinus Anno ab V. C. CCXIV. consulatum obtinuit. L. Aquilius Gallus anno ab V. C. DLXXVIII. tanquam Praetor Siciliae praefuit, et C. Aquilius Gallus Collega Ciceroni in praetura fuit, qui formulas de dolo malo composuit, a quo etiam posthumi Aquileiani, stipulatio Aquileiana et, vt aliqui censent, Lex Aquilia (vid. tamen IOH. BERTRANDVM *de Iurisperitis L. II. C. IX. §. 9.*) nomen ac originem acceperunt. An igitur eiusdem cum his familiae fuerit Bradua noster certo non constat, quis enim fuerit Aquilius ille Bradua ignoratur, nec vllibi aliquis huius nominis inuenitur. Vixit quidem Bradua Mauricus, Proconsul Africae, sub Seuero et Antonino, ad quem Imperatores isti rescripserunt, vt Vlpianus refert in *L. 1. §. 4. D. de suspect. tut. et Curat.* qui dubio procul est etiam Bradua ille, cuius mentio fit in *L. 4. D. de officio eius cui mandata est Iurisd.* Plures quoque Atilii Braduae occurrunt apud Romanos, Consules et alii, Aquilium autem Braduam nullibi reperimus, quapropter coniicit Antonius Augustinus in notis ad Librum, *de Nominibus propriis τὸ πρῶτον Florentini* apud Ottonem Tom. I. p. 348. lit. 1. erratum esse in nostra lege et loco: *Aquilio* legendum

dum